

Lf

361



IX.

Politik.

46.







Do. 10
Be

No 8999 *



CHRISTIANI WEISII
NUCLEUS
POLITICÆ,

Sex capitibus
univerſa

NOBILISSIMÆ DOCTRINÆ

fundamenta ſic exhibens,

ut

Nobiliorum Parentum

Filii,

jam in Gymnaſiis,

tum

ad Historiarum aliquanto ſolidiorem

TRACTATIONEM,

tum

ad Latinam quoq; in differendo

EXTEMPORALITATEM

præparari poſſint.

LIPSIÆ,

Sumptibus Joh. Frid. Gleditſchii.

M DC XCI.

CHRISTIAN WOLFF
PHILOSOPHIE
POLLITICAE

Sez experientis
universis

NOBILISSIMO DOCTRINAE

tormentum de exilibus



in
Vollständig

im in

in der
BIBLIOTHEK

239



LECTOR BENEVOLE.

*AN*nus jam est decimus, quod apud nos prodiit **COMPENDIUM POLITICUM**, in gratiam eorum, qui ad Latinam in disserendo extemporalitatem, & ad Academica studia preparari velent. Sed, si vel maxime prodisset è nostro Museo, nomen tamen in titulo legebatur nullum: quod in ea festinatione potius ratio fuisset habita discentium, quam fautorum alibi degentium. Nunc, ubi nec illud Compendium suis caruit amicis, nec Politica, vernaculis verbis nuper concepta, prorsus fuit infelix; sub incudem revocare, variisque locis emendare vel supplere Compendium hoc placuit, ut neque priora prorsus retineremus: neque tamen à principiis semel probatis recederemus. Tibi, ut singula vel profint, vel placeant, precor.



Q. D. B. V.

NUCLEI
POLITICI
CAPUT
PRÆPARATORIUM.

I.

POLITICA est PRUDENTIA SUMMI BONI
POLITICI.

II. Per PRUDENTIAM intelligitur animi virtus, unde novimus eligere quæ bona sunt, & fugere quæ mala sunt.

III. Per SUMMUM BONUM POLITICUM intelligimus eam felicitatem, quam percipimus in Republicâ.

* *Contradistinguitur Summo Bono Ethico, quod consistit in eâ felicitate, quam percipimus inter nos in conscientiâ.*

IV. Inde ad Prudentiam Politicam tria pertinebunt,

1. Quid sit Respublica, quam cupimus esse felicem?
2. Quid sit ea felicitas?
3. Quibus mediis & consiliis hæc felicitas acquiratur?

Quæ

* *Qui terminorum Philosophicorum non sunt expertes, ita dicunt: primo consideratur SUBJECTUM h. e. Respubl. cui introducitur felicitas; deinde ADJUNCTUM s. FINIS h. e. ipsa felicitas; tandem CONNEXIO hujus Adjuncti cum Subjecto h. e. MEDIA.*

V. At **RESPUBLICA** est maxima hominum societas, quæ consistit è Magistratibus s. personis imperantibus, & Subditis s. personis obedientibus.

* 1. *Equidem in magnâ hac Societate reperiuntur minores, NUPTIALIS, PATERNA, HERILIS, FAMILIA &c. sed de his agunt Theologi & Juri.*

* 2. *Respubl. alio nomine dicitur CIVITAS, unde Politica quoq; dicitur DOCTRINACIVILIS.*

VI. **MAGISTRATUS** s. personæ imperantes vel obtinent locum supremum, & à nemine dependent, habentq; **MAJESTATEM**.

VII. Aut medio loco, tanquam minores Magistratus constituti, à superiore dependent, habentq; nudam **DIGNITATEM**.

VIII. Subditis s. personis obedientibus relinquatur **SUBJECTIO**.

IX. **Majestas** est summa Reip. potestas, cujus actus à potestate humanâ justè revocari non possunt.

X. Derivatur in personam vel per ELECTI-
NEM populi, vel jure SUCCESSIONIS hæredita-
rio, vel jure VICTORIÆ per bellum legitimum.

XI. Et ea quidem Majestas consideratur vel
respectu OBJECTI h. e. ipsorum negotiorum, quæ
tractantur. Unde dividitur in certa JURA s. RE-
GALIA.

XII. Vel respectu SUBJECTI s. personarum,
quæ ipsam gerunt, an uni, an paucis, an omnibus
conveniat: unde nascitur divisio in RERUMP.
SPECIES.

XIII. REGALIA vel exercentur in ipsa Re-
publ. apud Subditos, & dicuntur IMMANENTIA.

* *Ex. gr. Jus Legum, Jus constituendorum Ma-
gistratum, Jus Judiciorum, Jus Tributorum.*
vel apud externos adversus aliam Rempubl. & di-
cuntur TRANSEUNTIA.

* *Ex. gr. Jus belli, Jus Pacis, Jus Fœderum, Jus
Legatorum.*

XIV. DIGNITAS s. honor Magistratus est re-
stricta jubendi & statuendi potestas, quæ superi-
oris arbitrio corrigi & revocari potest.

XV. Confertur per voluntatem ejus, qui ha-
bet Majestatem. Primarium fundamentum est
PRUDENTIA & ÆTAS matura; secundarium
OPULENTIA & NOBILITAS, quibus subsidiis
prudentia commodè solet comparari.

XVI. Subjectio est obligatio recipiendi actus
superiorum potestatum.

Na.

XVII. Nascitur ex pacto s. obediendi voluntate, quod vel est expressum in Electione, vel tacitum in statu successivo, ubi à posteris impletur consensus Majorum.

* *Tacitam quoq; obligationem recipiunt PEREGRINI, qui alienum territorium ingressi, tamdiu tenentur legibus, quamdiu commorantur in Rep. & VICTI, qui, dum colla submitunt, imperandi, jus relinquunt victori.*

XVIII. Stare potest Subjectio cum libertate. Libertas enim non intelligitur CIVILIS, quæ pro lubitu statuere potest de negotiis ad Rempubl. pertinentibus, & idem significat ac Majestas; sed PERSONALIS, quæ jus retinet disponendi rem privatam pro suo arbitrio, nisi quatenus Lex vel Vis obstat.

* *Inde Subjectio non Servitutem, sed Obedientiam decretis publicis præstandam arguit.*

XIX. Solemnis agnitio Subjectionis offertur in Homagio, cum Subditi interposito juramento, Fidelitatem, Obedientiam & Subjectionem pollicentur.

XX. Sed jam patet, in Doctrina Reipubl. maximam haberi curam Majestatis, quæ non immeritò dicitur vita & anima Reipubl.

XXI. Equidem Doctrina Politica potest esse GENERALIS, quæ omnibus Rebuspubl. accommodari potest, vel SPECIALIS, quæ ad certam Rempubl. e. g. Germaniam, Galliam, Poloniam, &c. oculos deflectit.

XXII. Sed discentium interest acquiescere potissimum in tractatione Generali. Quamobrem distinctis Capitibus procedemus. Quippe Quæstiones sibi succedent

De REPUBLICA.

1. Quæ sint jura Majestatis, s. *REGALIA TRANSEUNTIA*?
2. Quæ sint jura Majestatis s. *REGALIA IMMANENTIA*?
3. Quæ sint Subjecta Majestatis, cum Majestas uni, vel paucis, vel omnibus convenit, h. e. *SPECIES RERUM PUBLICARUM*?

De FINE.

4. Quæ sit felicitas Reip. quorsum spectare debeat Majestas?

De MEDIIS.

5. Quibus consiliis uti possit Majestas ad obtinendum finem?
6. Quæ sit Methodus progrediendi ad Politicam Specialem?

XXIII. Ista vero qui leget, id simul velit meminisse, Nucleum hunc incipientibus, & personis maximè nobilioribus esse consecratum. Sic nemo postulabit quæstiones profundiores, nemo abesse mirabitur subtilitates nimium scholasticas. DEUS verò largiatur successum.

CAP.

CAP. I.

De REGALIBUS TRANSEUN-
TIBUS.

I. **D**icendum hic est de BELLO, de PACE, de FOEDERIBUS, de LEGATIS.

II. BELLUM est Status, ubi cives, Majestate sic ordinante, adversus alios habent concertandi animum.

* *Equidem est etiam BELLUM CIVILE, quod vel inter ipsos Subditos, vel inter Imperantem & subditos geritur: sed quoniam vel ab alterâ, vel utrâq; parte deficit Majestatis auctoritas, rectius dicitur SEDITIO vel TUMULTUS.*

III. Est autem Bellum respectu principii s. causæ vel OFFENSIVUM, ubi Cives jubentur alium invadere, vel DEFENSIVUM, ubi vim ab alio illatam jubentur propulsare.

* *Sepè unum bellum quoad diversos actus, vel diversa tempora dici potest & Offensivum & Defensivum.*

IV. Respectu finis vel Causæ impulsivæ Bellum est JUSTUM, cum quis sua defendit, erepta recuperat, atroces injurias vindicat: INJUSTUM, cum quis ambitionis, cupiditatis, libidinis causâ ruit in pugnam.

* *Sed distingvi debet Causa belli vera & apparens. Inde qui causam asserre non potest justam, fingit tamen justificam s. honestum pretextum,*

ut in publicato Manifesto, quod vocant, justitiam & honestatem suam tueatur; bellum gerit apparenter justum, verè injustum.

V. Respectu Loci, qui bello sedem dat, vel est TERRESTRE VEL MARITIMUM; ipsum terrestre, vel MONTANUM VEL CAMPESTRE.

VI. Respectu Personarum belligerantium, bellum vel geritur adversus Barbaros & Infideles, vel adversus Christianos ac ejusdem fidei socios.

* *Ex hoc enim fundamento cognoscimus, inimicitiam aliquam vel nocendi voluntatem esse EXTREMAM, quæ non quiescit, nisi depresso, vel exciso hoste; aliam LIMITATAM, quæ alterum castigari quidem & admoneri, sed non everti vult. Sane Barbaris monstrare possumus inimicitiam quoq; limitatam, adversus Christianos nunquam suscipere decet inimicitiam extremam.*

VII. Respectu modi aliqua bella geruntur OFFENSIVE, obsidionibus, incendiis, depopulationibus, & quæstis præliis; alia geruntur DEFENSIVE cunctando, prælium evitando, variisq; tergiversationibus hostem atterendo.

VIII. Belli aliquam faciem referunt REPRESSALIÆ. cum quis à Republ. vel civitate, vel alia universitate, vel ab unico ejus cive læsus tamdiu omnes ejus universitatis cives hostiliter tractat, eorumq; bona invadit, donec præstetur satisfactio. Nam eo casu pax non creditur rupta, tantoq; facilius controversiæ componuntur.

Ca.

IX. Cæterum, qvi habet Jus Belli, omnes simul actus exercere potest, sine quibus bellum geri nequit: habet nimirum Jus conscribendi milites, designandi militum hospitationes, munien- di fortalicia, introducendi præsidia, comportan- di commeatus, & qvòd maximum est, constituen- di leges bellicas, Magistratus bellicos, judicia bellica.

* *Eo etiam pertinet facultas exigendi pecuniam ad usus belli necessarios. Sed qui vocabulo à Gal- lis petito statuunt RATIO NEM BELLi h. e. facultatem onerandi & emungendi vicinos etiam innoxios, jus suum nimis videntur ex- tendere.*

X. Pax est finis & eventus belli s. status publi- cæ amicitix.

* *Ut in bello cives jubentur adversus alios habere concertandi animum: sic factâ pace jubentur habere mutuam benevolentiam.*

XI. Ea componitur ORDINARIE, cum cer- tus Mediator partes inimicas conciliat: EXTRA- ORDINARIE, cum belligerantes ad componen- das controversias suis tantum ministris utuntur.

* *Ad Mediatoris personam pertinet*

1. *Ut habeat Majestatem. h. e. ut ejus promissa nemo revocare queat.*

2. *Ut possu pro suis facultatibus prestare GVA- RANTIAM h. e. ut, si alter servare pacem semel receptam nolit, alter auxilio Mediatoris factus potentior, justam suam causam persequi valeat.*

Pa.

XII. Pacis norma est INSTRUMENTUM PACIS, s. libellus, quo continentur articuli, quibus utrinque; receptis controversiæ fuerunt finitæ.

* *Interdum reservantur ARTICULI SECRETI, qui solis pacificantibus innotescunt, nec in publico reperiuntur Instrumento.*

XIII. Est autem Pax FERPETUA, quando remouentur omnes odiorum causæ, ut nisi accedat nova injuria, sperari videatur æterna benevolentia: TEMPORARIA, quando ad certum tempus suspenditur nocendi animus, relictis interim odiorum Causis.

* *Temporariam pacem alio nomine vocamus INDUCIAS, quas triplici modo agnoscimus,*

1. *In Respiratione, cum post prælia sepeliendis occisis datur quies.*

2. *In Præparatione, cum instantis pacificationis gratiâ partes consentiunt in ARMISTITIUM.*

3. *In Consummatione, cum vera & omnibus partibus absoluta pax conceditur, adscriptis tamen annis, intra quos durare debeat.*

XIV. Amicitia verò vel est NEGATIVA, vel POSITIVA.

XV. Negativa dicitur, quæ saltem remouet nocendi animum, non tamen certam & specialem, iuvandi vel assistendi obligationem importat. Talem amicitiam præcisè respiciunt, qui Pacem concluderunt.

Isti

* *Isti enim introducere solent AMNESTIAM, h. e. omnimodam injuriarum oblivionem.*

XVI. Amicitia Positiva certa designat officia, quæ postulare deinde potest amicus ab amico. Talem spectamus in Fœdere.

XVII. Nam FOEDUS est pactum inter duos Imperantes continens expressa & Positiva amicitiae officia.

* *Equidem Officia interdum exprimuntur terminis generalibus, sicut plerumq; in tractatibus pacis tacitum quasi fœdus concluditur, ut utrinq; subditi se mutuo diligant & adjuvent: interdum adhibentur termini speciales, quæ Privilegia sibi invicem indulgeri, quæ auxilia mitti, quæ commoda concedi debeant. De his autem potissimum agitur in fœdere.*

XVIII. Est autem Fœdus vel ARMORUM, vel COMMERCIORUM.

XIX. Fœdus Armorum obligat ad auxilia bellica sive gratis, sive exhibitis pensionibus mit-tenda.

* *Hinc vel sunt DEFENSIVA, quæ obligant ad juvandum Fœderatum in Bello defensivo, cum ab aliis invaditur: vel OFFENSIVA, quæ obligant Fœderatum quoq; ad bellum offensivum, si alter velit invadere alios.*

XX. Fœdus Commerciorum concernit certam mercaturæ libertatem, vel aliquam à Vectigalibus immunitatem, quâ carent alii non fœderati.

XXI. Fœdera utrinq; sunt PERPETUA, quæ causam habent perpetuam.

* *In bello mutuam defensionem adversus hostem velut heredarium; in Commercio mutuam utilitatem, quâ carere neuter potest.*

XXII. Vel TEMPORARIA, quæ vel in Articulis certum tempus præfigunt, vel causam habent minus perpetuam.

* *De Fœderibus tamen dici potest, quod superius de pace perpetuâ: Nam aliquando dissolvuntur, si quid contingat, quod in Confederatione cogitari & prævideri non potuit.*

XXIII. In Bello habemus Fœdus negativum, quod vocamus NEUTRALITATEM, ubi vicinus cum duobus belligerantibus, paciscitur, se neutri vel nocere, vel assistere velle.

* *Subest tamen amicitia positiva respectu ipsius, qui neutralitatem expetit, vel etiam datâ pecuniâ redimit h. e. fortioris, qui non impeditur, quo minus debiliorem evertat.*

XXIV. Omnia vero fœdera vel sunt ÆQUALIA, cum uterq; paria præstat officia, paremq; habet auctoritatem, vel INÆQUALIA, cum major debet auxilia, minor prolixiorē s. comem observantiam.

* *Cum fœdus inæquale concernit defensionem bellicam, vocari solet ADVOCATIA ARMATA, quemadmodum defensor in judicio vocari solet Advocatus togatus.*

* *Ejusmodi autem Fœdus minor pangere potest salvâ suâ Majestate.*

XXV. Cœterum solæ Personæ Majestatem habentes fœdera pangunt, ac adeo quoties subditū Principe non approbante societatem ineunt, SECTÆ vel CONJURATIONES vocantur.

XXVI. Restat Doctrina de Legatis. Et LEGATUS quidem in genere est Persona, quæ ab Imperante (vel Republicâ,) mittitur ad alterum Imperantem. (vel Rempublicam)

* *Alto nomine dici solet ORATOR, quippe quod ipsi nomine Principalis subinde loquendum est.*

XXVII. Legatus hic est PRIMI ORDINIS, qui mittitur cum charactere repræsentativo, & velut ipsam mittentis personam repræsentat.

* *Hinc in exceptione, in audientiâ, in convivis, in discessu variis opus est solennitatibus. seu, ut vocabulum receptum est, CEREMONIIS Vocari autem solet AMBASSADORUS.*

XXVIII. Vel est SECUNDI ORDINIS, qui non mittentis personam, sed præclarum tamen ipsius Ministrum repræsentat.

XXIX. Utrinque Legatus est vel ORDINARIUS vel EXTRAORDINARIUS.

XXX. Ordinarius generali mandato instructus versatur in aulâ alterius imperantis, ut omnibus negotiis invigilet, quæ mittentem spectare possint.

* *Si Legatus est Primi Ordinis, dici solet AMBASSADORUS ORDINARIUS; si secundi Ordinis, RESIDENS,*

Ex-

XXXI. Extraordinarius speciali mandato instructus ad certum aliquod negotium mittitur.

- * 1. *Istud negotium vel concernit externum splendorem, cum accedit gratulandi vel condolendi causa. vel ut nuptus, exequus, solennibus baptismalibus &c. intersit.*
- * 2. *Vel concernit majoris momenti tractatum, Pnificationem, Confederationem, Matrimonii consummationem: Et talis Legatus presertim in negotio pacis aliquando vocatur PLENIPOTENTIARIUS.*
- * 3. *Cum est primi ordinis vocatur AMBASSADORUS EXTRAORDINARIUS, cum Secundi ordinis, Missus, s. Gallico vocabulo ENVOYE.*

XXXII. Sunt etiam Legati minores, qui nullum gerunt characterem, quod in negotiis secretioribus commodissimum est.

- * *Eo referuntur ordinarii, quos vocamus AGENTES.*

XXXIII. Qui ab imperante mittuntur ad subditos, vocantur COMMISSARII: quos subditi mittunt ad imperantem, dicuntur DEPUTATI.

XXXIV. Nobilissimum Legati attributum est quod dicitur INVIOLABILITAS, unde nec accusari, nec puniri, nec alio modo lædi potest.

- * *Hinc legitima creditur belli causa, si Legatus fuerit violatus.*

* *Et inde tot passim extant controversie, de Libertate habitationum, ubi degunt Legati, seu de Franchisia Quartieriorum.*

Nul-

XXXV. Nulla tamen adest conqverendi causa, si quis personam. ad se missam vel nolit admittere, vel discedere jubeat.

XXXVI. Extenditur etiam hæc inviolabilitas ad Legati ministros: nescio, an ad eos, qui asylum quæsierunt in ejus domo.

* *In bello liberè procedunt tympanista & tubicines, etiam ad hostes missi.*

CAPUT II.

De REGALIBUS IMMANENTIBUS.

I.

Dicendum hic est de LEGIBUS, de MAGISTRATIBUS, de JUDICIIS, de TRIBUTIS.

II. LEX est Oratio præscribens alteri, quid faciendum sit vel omittendum, cum additâ obligatione.

* 1. Sic distinguitur à nudo CONSILIO, quod quidem præscribit vel facienda vel omittenda, sed necessitatem, ac adeo CLAUSULAM POENALEM, non adjicit.

* 2. Inde leges etiam dicuntur SANCTIONES, quoniam, ut Justinianus loquitur, poena constituta est adversus eos, qui sanctum id & inviolabile mandatum violare sunt ausi.

III. Equidem hoc loco non intelligitur LEX DIVINA, quam DEUS vel promulgavit in Sacris literis, ac nos dividere solemus in MORALEM, CEREMONIALEM & FORENSEM: vel

B

ho-

hominum rationalium cordibus inscripsit, ac nos communiter vocamus **JUS NATURÆ**.

* *Equidem solo promulgandi modo differunt lex DEi moralis & jus naturæ: quod enim promulgatum est in Decalogo, id quoq; cordibus hominum à natura inscriptum est.*

IV. Nec intelligitur **JUS GENTIUM**, quod ab omnibus gentibus (certè moratioribus) vel receptum est, vel tamen rejici non potest, ac deducitur vel à principio justitiæ h. e. à jure naturæ, vel à communi consuetudine.

- * 1. *Principium justitiæ allegatur e. g. cum primus terrarum possessor injustè dicitur ejectus ab alio.*
- * 2. *Principium consuetudinis allegatur, e. g. cum legatus certis solennitatibus excipi vult.*
- * 3. *Vocatur hoc Jus alio nomine **FECIALE**, nam Feciales apud Romanos in suo collegio tractabant controversias exterorum, quos adigere non poterant ad jus civile; sed necessario convincebant communibus omnium gentium placitis.*

V. Nec intelligitur **LEX FUNDAMENTALIS** cujuslibet Reipublicæ, quæ regiminis formam & administrandi modum præscribit. Hæc enim lex dicitur improprie, & potius pactum, quò imperans etiam semetipsum obstrinxit.

- * 1. *Alio nomine dicitur **JUS PUBLICUM** h. e. regula status publici, ut contradistingvatur juri privato s. civili, de quo dicitur thesi sequente.*

* 2.

* 2. *Istæ quoq; leges vocari solent SANCTIONES PRAGMATICÆ, vel simpliciter PRAGMATICÆ, quoniam in praxi Reipublicæ administrandæ observantur.*

VI. Sed præcise intelligitur LEX CIVILIS, quam imperans præscribit civibus vel hominibus in civitate suâ degentibus.

VII. Et, qui nominamus præscribendi jus, simul includi volumus jus abrogandi, mutandi, interpretandi, restringendi, ampliandi, quoties vel occasio vel Reipublicæ necessitas postulaverit.

VIII. Ejusmodi vero lex vel originem habet à legislatoris voluntate; vel à legislatore novam tantum indispiscitur auctoritatem & obligationem.

IX. A Legislatoris voluntate lex dependet, cum quid præcipitur, quod nec in divino, nec in naturali jure expressum est.

* *Sic annum habens vigesimum primum dicitur majorennis.*

X. Novam auctoritatem & obligationem indispiscitur, quod à Deo vel jussum vel prohibitum novâ clausulâ pœnali munitur.

* *Sic furibus adjudicatur suspendium.*

* *Inde patet imperantem statuere posse PRÆTER jus divinum & naturale, non CONTRA istud jus.*

XI. Sed leges civiles vel sunt PROFANÆ, ac speciatim dictæ CIVILES, quæ dirigunt homines, ut vitam civilem in civitate commodius & hone-

flius degant; vel SACRÆ, & concernunt negotium Religionis.

XII. Leges civiles vel concernunt publicam honestatem & utilitatem, & nostrô stylô vocantur ORDINATIONES POLITIÆ.

* *Et spectant ea vel PERSONAS obligandas, ut habentur Leges Studiosorum, Militum, Mercatorum, Opificum; vel RES, in quibus consistit obligatio, ut habentur Leges sumptuaria, de restringendo vestium, epularum & aliarum impensarum luxu; Monetaria de certo pecuniarum valore.*

XIII. Vel concernunt singulorum justitiam, quô sensu Imperator dicit: *omne jus, quô utimur, vel ad PERSONAS pertinet, vel ad RES, vel ad ACTIONES.*

XIV. Si modum promulgandi species, nota est distinctio EDICTORUM, MANDATORUM & RESCRIPTORUM.

- * 1. *Edicta sunt, quæ imperans proprio motu ad subditorum utilitatem constituit.*
- * 2. *Mandata sunt præcepta vel monita ad certas personas, vel ad inferiores Magistratus directæ.*
- * 3. *Rescripta sunt responsiones ad libellos subditorum supplices.*

XV. Respectu Objecti lex est UNIVERSALIS ad omnes pertinens, PARTICULARIS ad certam societatem vel certas personas pertinens.

* 1.

* 1. *Ad legem particularem refertur JUS STATUTARIUM, cum aliqua civitas peculiariter habet observantiam, sed à superiore tamen probatam.*

* 2. *Huc etiam pertinent PRIVILEGIA, quæ certis hominibus, reliquis exceptis aliqua jura concedunt.*

XVI. Habetur quoque Lex CONSVETUDINARIA, cum quid longâ consuetudine receptum est. Sed aliter vim legis habere non creditur, quàm quia præsumitur tacitus Imperantis consensus.

XVII. Leges, quæ Religionem concernunt, vel sunt INTERNÆ, vel EXTERNÆ.

XVIII. Internæ ipsam Religionis essentiam attingunt, & determinant, quid credi debeat de articulis fidei.

* *Hanc curam Imperantes merito relinquunt suis Theologis, Sacrarum quippe literarum interpretibus.*

XIX. Externæ curant statum & securitatem Religionis, quam curam ipse suscipit Imperans, ad quem spectat Religionis INTRODUCTIO, DEFENSIO, INSPECTIO.

XX. Introductio s. jus reformandi exercetur, quando religionem à suis Theologis approbatam, publicè doceri vult.

* *Includitur etiam Jus tolerandi aliam religionem, & quod Juris publici Scriptores Regalibus annumerant, Jus recipiendi Judeos.*

XXI. Defensio s. Advocatia exercetur, cum, quicquid Ecclesiæ fuerit periculosum, vel interposita auctoritate corrigitur, vel per vim armatam avertitur.

XXII. Inspectio alio nomine vocatur **JUS EPISCOPALE**, & comprehendit Jus visitandi & examinandi Ministros Ecclesiæ, tum jus eosdem judicandi & puniendi.

* *Catholici jus hoc Principibus ereptum certis usq̄ Ecclesiasticis Principibus relinquunt.*

* *Aliud tamen est jus Patronatus s. jus vocandi Ecclesiæ ministros.*

XXIII. Pergimus ad **MAGISTRATUS** s. Personas, quibus imperans infinitis negotiis pressus curarum partem sic imponit, ut aliquâ gaudeant jurisdictione.

* *1. Vocantur MAGISTRATUS MINORES, quippe quod imperans sibi reservat honorem Magistratus majoris.*

* *2. Sed improprie Magistratus vocantur nudi Consilarii, quibus non data est jurisdictio, sed consultandi auctoritas.*

XXIV. Isti Magistratus aut sunt **NOBILIORES** aut **MINUS NOBILES**.

XXV. Nobiliores (tanquam Legati primi ordinis) personam ipsius imperantis repræsentant.

* *Tales sunt Palatini, Vice-Reges, Gubernatores, Præsides Provinciarum &c. qui peculiarem aulam, testandi splendoris causâ, instituunt.*

Mi-

XXVI. Minus Nobiles (tanquam Legati secundi, tertii vel quarti ordinis) minorem aliquam potestatem acceperunt.

* *Quales sunt Cancellarii, Consilarii, Capitanei, Praefecti, Consules, Quaestores, Judices &c.*

XXVII. Jus JUDICIORUM tria includit. Jus PRÆMIORUM, Jus POENARUM, & JURISDICTIONEM s. Jus componendi lites civium.

XXVIII. Præmium est bonum fortunæ, quod confertur ob meritum virtutis.

* *Per virtutem intelligitur fortitudo, eruditio, dexteritas artificiorum &c. interdum apud Principem sola placendi felicitas.*

XXIX. Bonum hoc quod conceditur vel est NEGATIVUM e. g. exemptio & immunitas ab oneribus & tributis; vel POSITIVUM, quod affert UTILITATEM, ut concessio Fendi vel annuæ pensionis, HONOREM, ut Nobilitas s. jus prærogativæ & præcedentiæ.

* 1. Nobilitas primaria bellicæ fortitudinis præmium est, inde stemmata gentilitia galeæ & clypeos referunt.

* 2. Est tamen quoq; Nobilitas AULICA, cum quis ad honorabilem functionem vocatus prærogativam habet.

* 3. Est etiam Nobilitas SCHOLASTICA, cum quis dicitur vel Doctor vel Magister, atq; adeo certum præcedentiæ jus acquirit.

* 4. Est tandem extraordinarium Nobilitandi genus, cum quis refertur inter EQVITES.

XXX. Præmia verò non intelliguntur MINORA, quæ concedi possunt etiam à privato, sed MAJORA, quæ Principis auctoritatem & potestatem requirunt.

* *Qui concedit exemptionem, reliquis dat legem, ut ipsius onera ferant: Qui dat Nobilitatem, reliquos jubet cedere loco & prærogativam agnoscere.*

XXXI. PŒNA est malum corporis aut fortunæ, quod infligitur sive ob malum commissum sive ob bonum omissum.

* 1. *Malum corporis est, si quis verberetur, mutiletur, in carcere detineatur, servilibus laboribus in ergastulo affigatur, aut planè supplicium capitis sustineat.*

* 2. *Malum fortune est, si quis multam pecuniariam subeat, in exilium mittatur, nominis honestam famam perdat, honoris jacturam patiatur &c.*

XXXII. Pœna propriè talis servat proportionem inter malum actionis & malum passionis.

* *Inde pœnas impropriè vocamus MEDICINALES, h. e. correctiones Parentum & Præceptorum.*

XXXIII. Mala commissa vel bona omissa intelliguntur è legibus præscriptis, & sunt vel MORALIA vel DOCTRINALIA.

XXXIV. Moralia publicam honestatem & leges ideo datas violant, pœnasq; requirunt strictissimas.

XXXV. Doctrinalia pugnant cum receptâ in scholis vel Ecclesiis doctrinâ, nec semper puniuntur *positivè*, occidendo, captivando, mulctando; sed *negativè*, tales novatores in Republ. non tolerando.

XXXVI. Delictum quoq; vel est MINUS, cum læditur subditus, vel MAJUS, cum læditur DEUS temerariâ blasphemiâ, vel Princeps proditione, conjuratione, temerario sermone.

* *Peccatum hoc in Principem vocatur PERDUELLIO vel CRIMEN LÆSÆ MAJESTATIS, talibusq; delinquentibus, cum apprehendi non possunt, decernitur PROSCRIPTIO, sicut hominibus adversus DEI nomen temerariò peccantibus decernitur EXCOMMUNICATIO.*

XXXVII. JURISDICTIO s. Jus componendâ lites civium plerumq; committitur Magistratibus minoribus. Sed beneficium conceditur tum Judicibus, tum Partibus.

XXXVIII. Beneficium judicibus concessum consistit in variis Prudentum Collegiis, unde in casibus gravioribus expectantur responsa.

XXXIX. Partes habent beneficium APPELLATIONIS, ut provocent ad tribunal imperantis, qui corrigere vel mitigare sententiam potest.

XL. Restat doctrina de TRIBUTIS, quo nomine generaliter omnia comprehendimus, quæ imperantem reddunt ditiores, eiq; nervum rerum gerendarum suppeditant.

XXI. Isti autem reditus vel colliguntur SINE subditorum onere, vel CUM eorundem onere.

XLII. Quæ nullo subditorum onere Principem reddunt ditiozem, referri possunt ad quatuor classes.

XLIII. Primo habentur certæ POSSESSIONES fundorum & prædiorum, quales habentur alioquin à privatis, quæ vocantur DOMANIA vel BONA CAMERALIA.

* *Quippe Camera sæpè designat fiscum Principis.*

XLIV. Deinde habentur peculiaria NATURÆ BENEFICIA, sylvarum, fluminum, metallorum, salinarum &c. quorum fructus vel redeunt ad Principem, vel certo canone seu pensione redimuntur à subditis.

* *Refertur huc Jus Venationis.*

XLV. Porro sunt MONOPOLIA certarum mercium, præsertim Salis, Frumenti &c.

* *Aliqui mercaturam exercent magno fisci augmento.*

XLVI. Tandem sunt extraordinaria JURA FISCO quæ vocantur, cum, quod nullius est, redit ad Imperantem.

* *Ex.gr. Si quis moriatur non relicto herede, vel peregrinus moriatur, cujus agnati non habent jus naturalitatis, vel perduellibus eripiantur bona, vel thesaurus inveniatur in loco publico.*

XLVII. Quæ colliguntur cum Subditorum onere, sunt TRIBUTA & VECTIGALIA.

Tri--

XLVIII. Tributa sunt pensiones, quæ solvuntur respectu personarum & rerum in Republ. existentium.

* 1. Tributa personarum vocantur *CAPITATIONES*.

* 2. Tributa rerum vel exiguntur à prædiis, si sint Urbana, respectu caminorum; si Rustica, respectu jugerum vel aratorum: vel exiguntur à redditibus, quæ est exactio ducentesimi, centesimi, decimi nummi.

XLIX. Sunt etiam Tributa extraordinaria, quæ fingulis temporibus sperari non possunt.

* Si princeps Nobilium minorennium superfluos redditus retineat, donec majorennitatem attigerint.

Si pro confirmatione feudi certum præstetur relevium s. honorarium.

Si Proceres matrimonii consensum pecuniâ redeemerint.

Si Dignitatum gradus sint venales.

Si civibus aliò discedentibus, vel hereditatibus aliò dimittendis portio detrahatur.

Si cives, quin & Ecclesiastici ad Dona GRATUITA s. ut alias vocantur CHARITATIVA compellantur.

L. Vestigalia tum à civibus, tum à peregrinis exiguntur, vel pro mercium importandarum & exportandarum securitate, vel pro viarum commoditate.

Alia

- * 1. *Alio nomine vocantur telonia, gabellæ, dactiæ, quin & specialia nomina capiunt à vino, frumento, sale, aliisq; mercibus.*
- * 2. *Sic etiam, quæ pro viarum commoditate exiguntur, varia habent nomina. ex. gr. Plateaticum, curandis plateis impositum. Pontaticum, pro transitu pontis solvendum. Portarium, s. Gallice Barragium, quod in portâ solvitur. Ripaticum, quod à trajicientibus in aliam ripam solvitur &c.*

LI. Tributorum & Vestigalium utrinq; naturam habent ACCISIAE, quæ imponuntur tum viqualibus, tum aliis in Republ. consumendis.

LII. Aliqui hoc loco disputant de DOMINIO EMINENTE. Nam quia in casu necessitatis imperans potest invadere bona civium, eundem faciunt omnium bonorum in Republ. Dominum, quibus uti possit pro lubitu.

- * *Sic in publicâ fame ditiorum horrea excutiuntur. In periculo belli suburbia destruuntur &c.*

LIII. Sed fundamentum hujus justitiæ non tam in aliquo dominio quærendum est, quam in obligatione subditorum.

LIV. Cæterum hæc quæstio variè distingit MACHIAVELLISTAS & MONARCHOMACHOS.

LV. Machiavellistæ, nomen habentes ab auctore non ignoto, Principi tribuunt absolutissimum jus in bona subditorum.

Mo-

LVI. Monarchomachi, quasi pugnantes adversus Principes, populo libenter subjicerent Principem, adeoq; tributa simul redderent liberiora.

LVII. Prudentissimus est, qui mediam viam tenet inter illum excessum & hunc defectum,

CAP. III.

De SPECIEBUS RERUMPUBLICARUM.

I.

PRIMA divisio Reipubl. est in RECTAM & CORRUPTAM.

II. Recta Respubl. est, ubi observantur Leges Fundamentales pro conservatione Status semel receptæ, & Imperans non abutitur suâ potestate, nec subditi negant subjectionem, utilitatis privatæ gratiâ.

* *Recta præcisè non intelligitur ea, quæ Imperantes habet perfectissimos, & subditos itidem absolute probos & obedientes. Nam ejusmodi status inter homines optari potius, & in Ideâ cogitari, quàm sperari & in Existentiâ demonstrari potest.*

III. Corrupta est ubi Imperans, neglectâ Populi salute, reclamantibus Legibus fundamentalibus, intendit utilitatem propriam, vel vicissim populus avarâ suâ pertinaciâ Imperantis intentionem fallit.

Er.

* *Ergo si apud Barbaros imperium sit Despoticum, ut omnes subditi habeantur pro servis, idq; velut ex lege fundamentali, status non est corruptus.*

IV. Altera divisio respicit numerum eorum, qui imperant, seu Majestatem possident, aut enim imperat UNUS, aut ALIQUI, aut OMNES.

V. Cum unus imperat, est MONARCHIA. Ea q; vel ABSOLUTA, vel RESTRICTA.

VI. Absoluta est, cum sola Imperantis voluntas valet pro lege.

VII. Restricta, cum Statuum auctoritas legibus fundamentalibus innixa, Imperantem intra certos terminos ita continet, ut exercere potestatem, sed eadem abuti non possit.

* *Hec restrictio non derogat Majestati: plane ut flumen aggeribus clausum liberè fluit, ac impeditur saltem, ne, libertatis abusu, ad latus effluat.*

VIII. Porro Monarchia vel est cum titulo, s. REGNUM, ubi princeps coronatur, & Majestatis titulo compellatur; vel sine titulo PRINCIPATUS, ubi Princeps neminem habet superiorem, Gallico vocabulo *Souverain*.

* *Huc tamen non pertinent Principes merè titulares h. e. è Regum vel Principum familia ultra Primogenitum nati, qui respectu aliorum ipsius destinatorum dicuntur APANAGIATI.*

Ad

IX. Ad Principatus referuntur illi status, quorum Domini gaudent SUPERIORITATE TERRITORIALI der Landes-*Fürstlichen* Obrigkeit.

* *Aliqui vocant ANALOGUM MAJESTATIS, alii termino nuper invento SUPREMATUM.*

X. Decantata deniq; distinctio in REGNUM strictè sic dictum, cum unus imperat ad salutem publicam, & TYRANNIDEM, cum unus consilia sua dirigit ad salutem privatam.

* 1. Tyrannia tamen non semper est aperta, ut ambitionem, avaritiam, crudelitatem, publicè velut profiteatur; sed interdum est occulta, ut sub specie regni, & sub ipsa publicæ salutis larvâ, periculosam suam intentionem dissimulet.

* 2. Apud Oratores tyrannus appellari consuevit quilibet Princeps qui malus est. Sed Politici Tyrannum non vocant, qui vitis quidem deditus, Status tamen & Reip. fundamentum non convellit, nec peccata sua velut ambitionis instrumenta detorquet in proprium commodum.

XI. Quando ALIQUI imperant, qui respectu reliquorum sunt OPTIMI s. POTIORES, vocatur ARISTOCRATIA.

* *Optimi, quoniam prudentiæ iudicium est difficillimum, in hoc rerum statu habentur nobiliores & ditiores.*

Si

XII. Si optimates neglectâ Republ. suis stude-
re commodis incipiant, contempto nomine dici-
tur OLIGARCHIA.

* *h. e. Imperium paucorum, qui non merentur
characterem optimorum.*

XIII. Utrinque; tamen requiritur, ut potiores ibi
imperent indivisim, ac in uno Senatu, unum cor-
pus, unam animam, & velut unum regnum re-
præsentent, & adeo sententia semper sit rata, quæ
pluralitate votorum confirmatur.

* *Parum interim refert, sive Senatores conjunctim
vivant in unâ civitate, sive sparsim habitent
per Provinciam.*

XIV. Quando OMNES dicuntur imperare, vo-
catur DEMOCRATIA. s. imperium populi. Sen-
sus tamen potest esse duplex.

XV. Aut intelliguntur OMNES tantum PLE-
BEJI, quem statim propriè Democratiam vel
OCHLOCRAIAM appellamus.

XVI. Aut intelliguntur OMNES NOBILES &
PLEBEJI, divites & pauperes conjunctim, quam
Aristocratiam & Democratiam mixturam honorabi-
li titulo vocamus POLITIAM.

* *Sic generali vocabulo utimur. Nam pauca sunt
exempla, nec opus habemus speciali vocabulo.*

XVII. Interdum ejusmodi cœtus curam publi-
cæ salutis ita negligit, ut quilibet sibi suisque; com-
modis vivat: Unde rerum facies emergit, quæ ab
imperii absentia dici consuevit ANARCHIA.

XVIII. Occurrunt etiam Respubl. MIXTÆ, ubi partem Majestatis habet Princeps, partem optimates vel plebeji.

* *Nam dividi posse Majestatem, ut alius leges, alius pecuniam, alius rem militarem curet, non est absurdum.*

XIX. Alit probè attendendum, ad ipsam Formam, & Modum administrandi, qui sæpè fallit pro Forma.

XX. Hæc verè Mixta est, ubi Majestas à pluribus habetur divisim, nec unus ab altero dependet, sed quilibet partem suam exercet irrevocabiliter.

XXI. Mixta statim non est, ubi Ordo Regiminis plures habet occupatos, ut ex gr. Senatui, Parlamento, Concilio, Comitibus aliqua committantur.

* *Talia enim collegia sæpè non jubendi & decidendi, sed consultandi & suadendi habent potestatem, nec interim Principi in ultima decisione plenus Majestatis usus tollitur.*

XXII. Interdum etiam variæ Respubl. præsertim parvæ & populares, quibus divisim defensio necessaria non sufficit, mutuo fœdere coeunt, constitutoq; communi Senatu, qui res fœderis tractet, faciem unius Reipubl. referunt.

* *Vocatur hoc SYSTEMA FOEDERATORUM s. corpus Gentium. Et revera, quoad Regalia immanentia, qualibet Respubl. par-*

*ialis Majestatem in suos Cives exercet; Trans-
euntia tamen cum reliquis conjunctim expe-
diuntur.*

XXIII. Aliqui addunt Rempubicam IRRE-
GULAREM, cum successu temporis aliqua vitia
contra Leges fundamentales irrepserunt, ut nunc,
velut per novam legem illa vitia tolerentur, ne
ruina sequatur ulterior. Sed ista judicare perlie-
ctiorum est.

CAPUT IV.

De FINE s. FELICITATE REIP.

I.

Summum Bonum Politicum consistit in CON-
SERVATIONE REIP. h. e. in magnæ societa-
tis ipsorumq; civium felicitate.

II. Sed hæc Felicitas aliter explicatur à ratione
RECTA, aliter à CORRUPTA.

III. Ratio Recta est, quæ hominibus, præfer-
tim Christianis, dicitur: Honestatem præferen-
dam utilitati; Beatitudinem æternam temporali;
Bonum publicum privato.

* *Inde judicat cives tum esse felicissimos, cum per
veram religionem & pietatis culturam, spem
vitæ future, & in hac vitâ bonam conscienci-
am indispiscuntur: Fini autem huic primario
subjici secundarium h. e. SUFFICIEN-
TIAM, quasi dicas, vitæ commoditatem, &
ab hostibus aliisque periculis securitatem.*

Ra-

IV. Ratio corrupta est, quæ diversis plane cupiditatibus, terrestria cœlestibus, utilia honestis, privata publicis antepone non erubescit.

* *Inde statuit, finem primum esse Conservationem Status, quibuscunq; demum mediis obtineatur: virtutes autem & religionem, seu potius earundem malitiosam simulationem, pro medio conservationis atquando adhiberi posse.*

V. Ergo qui rectam rationem sequitur, tria statuit bona, diversæ quidem præstantiæ, sibi tamen invicem subordinata, sic ut divelli nec possint, nec debeant.

VI. Primum Bonum est certitudo gratiæ diviniæ & æternæ salutis, quod dicitur, THEOLOGICUM; alterum est pietatis honestæq; vitæ studium, quod dicitur ETHICUM, (nisi in honorem Theologiæ moralis, commodius appellatur MORALE) Tertium est sufficientia vivendiq; commoditas, quæ resultat è Republ. benè constitutâ, nominaturq; POLITICUM.

VII. Ita Politicus præcisè intendit Conservationem Reip. quatuor modis obtinendam.

1. *Si Status prudenter & ad omnium commoditatem ordinetur.*
2. *Si ordo feliciter introductus porro conservetur.*
3. *Si, calamitatibus, fraudibus & invasionibus tempestivè resistatur.*
4. *Si, quoties honesta affulget occasio, rerum augmentum studeatur.*

VIII. Imo non tantum sollicitus est de conservandâ & augendâ hac Reip. fortunâ, quam dicimus *felicitem formalem*; sed etiam cogitat de conservandis personis præsertim Imperantibus, quam dicimus *felicitem personalem*.

IX. Interim præsupponitur id, quod theologice & ethice bonum est; ne consilia politicè suscepta bonis superioribus repugnent, nec, dum invigilamus mundanis, cœlestia neglexisse videamur.

X. Ast quicquid optare soleat ratio recta, probè tamen distinguit inter Statum IDEALEM, & POSSIBILEM.

XI. Status Idealis summam concipit perfectionem, qualem forte habuissemus in Paradiso.

* *h. e. Ubi homines sunt merè Christiani, sanctissimis moribus imbuti, & ad mutuam sufficientiam intenti.*

XII. Status possibilis est, ubi hominum malitia & imprudentia, quin & casuum infelicitas obstat, quo minus perfecta felicitas introducatatur.

* *Sic medicus, qui perfectam restituere sanitatem non potest, satis habet, si corpus possibili modo foveatur & sustineatur.*

XIII. In hoc igitur Statu, etsi mala non probantur, aut intenduntur, necessitate tamen sic jubente tolerantur, vel summo rigore non impugnantur.

* *Zizania non seminamus, sed dum prodeunt non avellimus, ne simul noceatur tritico: sic tole-*

ramus hereticos & heterodoxos, connivemus ad malam consuetudinem, patimur aliqua rei familiaris damna: quippe quod corrigi talia, sine graviore periculo vix possunt.

XIV. Cæterum uterq; Status Politico debet esse cognitus, quid optari, quid sperari queat. Nam in consiliis formandis, norma petitur à statu ideali; in iisdem applicandis & exequendis conducit status possibilis.

CAPUT V.

De MEDIIS OBTINENDI FELICITATEM POLITICAM.

I.

Media s. consilia, quibus obtinetur Reipubl. felicitas, vel sunt INDIRECTA s. promoventia, vel DIRECTA s. operantia.

II. Media indirecta, quibus observatis ultro sequitur felicitas, sunt PIETAS & JUVENTUTIS EDUCATIO.

III. Pietas s. verus DEI cultus promissionem habet etiam hujus vitæ, cujus felicitatem curat Politicus.

** Clara sunt Scripturæ Verba, de quibus minimum non dubitabit Politicus Christianus.*

*Psalms 112, 3. Beatus Vir, qui timet Dominum
NB. GLORIA, OPES & HONOR (h. e.
SUMMUM POLITICI BONUM) in domo ejus.*

C 3

Matth.

Matth. 6, 33. Querite primum regnum DEI & justitiam ejus, & hæc omnia (QUÆ POLITICUM REDDUNT FELICEM) adjicientur vobis.

IV. Educatio juventutis etsi præsentem non adjuvat Rempubl. quæ suis jam gaudet Consiliariis & Ministris; efficit tamen, ut pòsteri similem expectare possint felicitatem.

* 1. *Ad Politicos igitur pertinet cura Scholarum & superiorum & inferiorum, h. e. cura DOCTRINÆ, ut ingenia reddantur meliora, & DISCIPLINÆ, ne reddantur deteriora.*

* 2. *Doctrina vero tria comprehendit. Ut excolatur MEMORIA, JUDICIUM, SERMO.*

Ut modus habeatur COGNOSCENDI & DEMONSTRANDI.

Ut studia FUCUNDA vel CURIOSA distinguantur à NECESSARIIS, & publica saluti commodis: Simulq; habeatur ratio Ingeniorum, quæ sunt sublimia, mediocria, obtusa.

* 3. *Huc referri posset Disputatio Politica non ita pridem habita: QUANTUM INTERSIT REIP. DOCERI LATINAM LINGVAM.*

V. His mediis annumerari forsitan potest animus SUA SORTE CONTENTUS, quam Virtutem Græci vocant *αὐτάρκεια*, quæ mediocritatem servat in tolerando statu possibili.

Alio

* *Alio nomine diceret PATIENTIAM POLITICAM: multi enim sunt infelices, non quod minus impetraverint, sed quod plus speraverint.*

VI. Media directa s. operantia sunt, quæ secundum regulas prudentiæ negotia tum judicanda, tum decernenda propius attingunt.

* 1. *Hec Politica pars, quia rationem Status Reip. potissimum attingit, communiter vocari soles STATISTICA.*

* 2. *Nam RATIO STATUS in sensu non corrupto, qui vocabulum hoc pessimè deformat, sed recto, nihil aliud est, quam PRUDENS MODUS STATUM CONSERVANDI.*

VII. Ea vero prudentiæ consilia vel spectantur ut EXCOGITANDA, vel ut APPLICANDA.

VIII. Qui excogitare vult consilia, necessario considerat naturam PERSONARUM & NEGOTIORUM.

IX. Personarum, quibus vel imperandum vel quocunq; modo satisfaciendum est, magna deprehenditur varietas, respectu ÆTATIS, FORTUNÆ, PROFESSIONIS vel PATRIÆ.

* 1. *Aliter animati sunt JUVENES, ad precipitantiam, SENES ad tarditatem, VIRI ad constantiam proni.*

* 2. *Dum Nobiles & divites, honorem, potentiam ac delicias captant; plebei & pauperes, invidia, timore & suspitione laborant.*

- * 3. Aliud placet Eruditis, Aulicis, Militibus Mercatoribus, Opificibus, Agricolis &c.
- * 4. Aliud placet Gallis, Hispanis, Germanis, Polonis &c.
- * 5. Neq; nihil contribuit **SEXUS**: imo speciatim cujuslibet hominis **TEMPERAMENTUM**.
- * 6. Inde quod apud unius conditionis homines feliciter susceptum est, non statim succedit apud reliquos.

X. Negotia h. l. sunt exercitia Regalium & immanentium & transeuntium, quæ certis passim cautelis & arcanis circumscribuntur.

- * e. g. Imprudens dicitur, qui bellum incipit imparatus cum hoste paratissimo, qui sedem belli patitur in suo territorio statui, qui multis simul hostibus colliditur, vel unius praelii fortunam nimis temerè tentat: Ergo sequitur, alium, qui contraria fecerit, vocari prudentem, & proinde has prudentie regulas posse doceri. Sed ipse regule non tam pertinent ad Nucleum incipientibus destinatum, sed ad Politicam, quam vocare posses Majorem.

XI. Opus autem hic est EXPERIENTIA, quæ casus tum præsentis, tum ex historiis remotiores cognoscit; & JUDICIO, quod collatis inter se casuum circumstantiis causas eventuum explorat.

- * Historie proponunt casus copiosiores; proprius usus autem si pauciores, tamen certiores.

Con-

XII. Consiliorum applicatio tum est felix, cum personæ operantes instructæ sunt virtutibus ETHICIS & POLITICIS.

* *Virtutum hæc est differentia, Virtus Ethica bonitatem habet internam à necessitate legis, ut ejus absentia hominem reddat malum: Virtus Politica bonitatem habet externam, ab utilitate vel consuetudine, ut ejus absentia hominem reddat, non malum, sed ineptum vel imprudentem.*

XIII. Virtutes Ethicæ, quæ quidem in illâ disciplinâ diriguntur ad tranquillitatem conscientiæ, sed novum quoque; nec minus præclarum usum Politicis promittunt, sunt FIDES & JUSTITIA.

* *Nominamus virtutes, quæ bono publico quicquam immediate promittunt: alioqui nulla virtus est, quæ Politicum non adjuvet, cujus nimirum interest, habere Temperantiam, Liberalitatem, Modestiam, Mansuetudinem &c.*

XIV. Fides est virtus servandorum promissorum s. pactorum, ac nititur regulâ veritatis.

XV. Justitia est virtus servandarum legum s. officiorum, & dum suum cuique; tribuit, nititur regulâ: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.

* *Corporis enim politici compages duobus continetur vinculis, PACTIS ET OFFICIIS, quorum si convellatur firmitas, nihil tractari, concedi vel promitti potest.*

In

XVI. In Virtutibus Politicis primo nominatur CIVILITAS s. CONCILIATIO, quæ prudenter captat aliorum benevolentiam.

* *Fieri solet tum verbis tum officiis: sic tamen ne adulatio nimia contemptum, vel austeritas indignationem mereatur.*

XVII. Sequitur DILIGENTIA s. prudens alacritas in expediendis negotiis.

* *Norma petitur ab occasione, cum vel imminet bonum, quod alias haberi non potest, vel timetur periculum, quod alias evitari non potest.*

XVIII. CAUTIO est virtus, quæ prudenter se gerit in evitandis præjudiciis.

* *In sermonibus servat mediocritatem inter PAR-RHESIAM & TIMIDITATEM; in actionibus mediâ viâ procedit inter FESTINATIONEM & CUNCTATIONEM.*

XIX. DIFFIDENTIA est virtus prudenter dubitandi.

* *Omnibus qui credit, facile decipitur: sed aperte qui dubitat, omnibus invisus est.*

XX. DISSIMULATIO est virtus, quæ prudenter obtegit animi sensa.

* *Nobilissima hujus species est TACITURNITAS, quæ nemini aperit, quod scire non debet. Justitia suum cuiq; tribuit, hæc suum cuiq; dicit.*

SI.

XXI. SIMULATIO est virtus, quæ prudenter assumit externam speciem, animi sensis contrariam.

* *Pertinent huc STRATAGEMATA BEL-
LICA; totumq; negotium ideo videtur ius-
sum, quod alium, cui non obligor ad reve-
landa animi sensa, seducere tuto licet, exter-
nâ etiam & contrariâ specie.*

XXII. Aliqui simul commendant MUTUAM DECEPTIONEM, quæ prudenter aliorum retorquet fallacias: sed satius est hoc remedio uti defensivè, cum prudenter avertuntur fraudes; quàm offensivè, cum pari malitiâ quis cretizare vult apud Cretensem.

* *Nemini certè improbabitur SOLERTIA, quam adhibere solemus, quoties persuadendum quid est imprudentioribus, qui solidam consilii rationem non assequuntur: quo sensu Plato dixit IMPERARE esse LEGITIME DECIPERE POPULUM.*

XXIII. Hæc de virtutibus. Cæterum consilia cujuscunq; generis, vel sunt APERTA vel OCCULTA.

XXIV. Aperta successum habent, etiamsi publicè jactitentur, ac singulis innotescant.

XXV. Occulta salutarem suum effectum denegant, si profundius cognoscantur.

* *Dici solent ARCANA REIP. Sic interest aliquando fovere vel Optimatum vel plebejorum dis-*

*discordiam, impedire nonnullorum augmenta
 &c. quæ tamen patrefacta nocent magis quàm
 profunt.*

XXVI. Habentur etiam Consilia singulis Re-
 rum publ. formis propria, quæriq; potest de Ra-
 tione Status Monarchiæ, Aristocratix, Democra-
 tiæ: imo, quia Medicus non negligit doctrinam
 de venenis, de Ratione Status Tyrannici Imperii:
 quæ tamen sunt ultra nuclei brevitatem.

CAPUT VI.

De POLITICA SPECIALI.

I.

POLITICAM specialem vocamus, non quæ gene-
 ratim agit de Monarchia, Aristocratia vel De-
 mocratia, sed quæ procedit ad Rerump exempla.

** Sic habemus Prudentiam dirigendi Statum Gal-
 liæ, Hispaniæ, Poloniæ &c.*

II. Nec aliter procedunt hujus Politicæ partes,
 quàm in Generali. Proponitur enim Doctrina
 SUBJECTI, quomodo se habeat Resp. FINIS, quis
 sit Reip. vel Imperantis scopus: MEDIA, quibus
 consiliis scopum hunc obtinere quàm commo-
 dissimè liceat.

III. Cæterum qui Scholasticis utuntur subsidiis
 conquietere solent intra nudam Reip. NOTITI-
 AM: remissis politicioribus ad experientiam pu-
 blicam s. aulicam.

In.

IV. Inde quid cognosci queat in hac umbra,
sub brevioris tabulæ conspectum revocamus.

Ad

NOTITIAM REIP.

pertinet

I. SITUS TERRITORII.

Quantum valeat agris, sylvis, fluminibus,
montibus, viarum commoditate.

Quas divitias frumenti, vini, pascuorum ali-
arumq; rerum terra proferat.

Quantum valeat terra metallis, mineralibus,
sale, gemmis &c.

Quæ sit opificum & mercatorum comoditas.

Quæ sint incolarum ingenia vel consuetudi-
nes?

Quæ sit nobilium & plebejorum conditio vel
prærogativa?

Quid sperare possint extranei & peregrini?

Quos & quam potentes habeat vicinos?

Num sic cohæreant provinciæ, ut altera sub-
levare possit alteram?

II. FORMA IMPERII.

Penes quem resideat Majestas?

Quæ sint leges fundamentales, quæ ordinum
libertas, quæ succedendi ratio? quæ inau-
gurationum solennia?

Quæ singularia in titulis, in voluptatibus, in
præmiis, in aliis prærogativis sive veris,
sive fictis?

QVO.

Quomodo fratres & agnati habeantur?
 Qvis sit scopus Reipubl. & Imperantis?
 Num pristinus status hodierno sit infelicioꝝ?
 Quæ calamitatum causæ fuerint vel apud Im-
 perantes vel apud subditos?

III. PERSONA IMPERANS?

Cujus nominis, ætatis, & familiæ? cujus in-
 dolis?
 Quam habeat Conjugem? quæ conjugii pa-
 cta? quos liberos? quos agnatos?
 Qvis aulæ splendor? quorum ibi hominum
 facillima promotio?
 Qvi Ministrorum gratiosi & potentes? an Mi-
 nister ibi primarius?

IV. REGALIA TRANSEUNTIA.

BELLUM cum quibus nunc aut nuper gestum?
 qui sint inimici Præensionum, Præceden-
 tiæ vel Antipathiæ causâ?

Quo genere, quo ordine, quâ disciplinâ, qui-
 bus officialibus singula gerantur?

An valeant equites, pedites, naves? an in-
 promptu perpetuus exercitus?

An arma subditis relinqvantur, vel potestas
 præcipua concedatur exteris?

PAX cum quibus nunc aut nuper composita?
 quibus & quam acceptis conditionibus?
 quibus Mediatoribus? quibus ceremoniis?

FOR-

FOEDERA quæ vigeant ARMORUM & Commer-
ciorum? quæ utrinq; ex his speretur uti-
litas?

Quid in LEGATORUM exceptione passim singu-
lare vel controversum?

V. RELIGIO.

Quæ religio dominans? quæ reliquarum re-
ligionum libertas? penes quem Ecclesiæ
potestas? quæ Clericorum Privilegia?

Quæ controversiæ fidei vel ceremoniarum?

Quæ conditio Scholarum & Academiarum?
quæ pretia studiorum? quæ sors erudito-
rum?

VI. LEGES & JUDICIA.

Quis legislator? quæ leges? quis earum in-
terpres? quibus collegiis commissa admi-
nistratio?

Quæ conditio Magistratuum primi & secundi
ordinis? quæ promovendi ratio? num va-
leat virtus, an pecunia?

Quam tardus aut festinans judiciorum pro-
cessus?

Quæ pœnarum & præmiorum ratio?

VII. ARTES ACQVIRENDI.

Quid colligatur sine onere subditorum?

Quæ sint genera tributorum & Vectigalium?

Quæ artificia fiscum Principis locupletent?

Quæ sit ratio pecuniæ tum in Rep. tum apud
alios eusæ?

Quibus mediis attrahatur vicinorum pecunia?

NB.

Quantum proponi debeat, vel Nobilioribus Parentum filiis, vel pauperioribus etiam, quos informandis liberis præficere volunt illustres personæ, paucis equidem foliis ostensum est: fructumq; satis amplum speramus, si, quod in Quæstionibus nostris Germanicis factum est, regulis subiciantur exempla.

Neq; tamen dissimulo, tribus quasi columnis inniti hanc doctrinam: GEOGRAPHIA, CHRONOLOGIA, GENEALOGIA, quibus excolendis horæ non deteriores destinari debent. Interim doceri vix possunt scribendo, discurrendo, disputando, quemadmodum alias tradimus disciplinas: nam, ut dependent à memoria, sic, qui tabulas tum Geographicas ac Chronologicas, tum Genealogicas sapius perlustraverit, ac inspiciendo memoriam reddiderit securiorem, successum habiturus est omnino felicem. Quem Deus ex voto Parentum & Præceptorum singulis concedat.



 ZITTAVIÆ

Typis Michaëlis Hartmanni.

Ubi: supremus et medius datur
Magistratus ibi dius inferior in
veniri debet. Aliis n. nulla
datur medi sed alio nomine
designandi ad alteru.

Quodcumq; pl magistratus et alio Aequi
q congruit illud o omnibz emp z
antibz e comunicandu.

Atq; Magistratus soli
Mag: pub: hoc cognoscenda e e tribus.

Quicumq; Magistratus nuda et sancti digni z
sube ille nulla pro q est.

Atq; inferior magistratus nuda
partu est; e pro q nulla.

Mag: pub: et uocabulo Luda.

Quicumq; alium qua subiectio relin
q non alio gubernare possunt.

Atq; submagistratus minor uti vo
cabt qui aliquid est quam
sube est aliquid alium quam
sube est.

e Magistratus minor alio o gubernare
re pt.

ous
in-
er-
u-
a-
lis
nis
O-
dis
im
ou-
li-
ta-
m
en-
m



3

x 2453383





74 A 405

AB 14 14 25

Lf 361

WAT


#161

N^o 89

00
Be

No 8999 *

CHRISTIANI WEISII
NUCLEUS
POLITICÆ,
Sex capitibus
universa
NOBILISSIMÆ DOCTRINÆ
fundamenta sic exhibens,
ut
Nobiliorum Parentum
Filiis,
jam in Gymnasiis,



Farbkarte #13

B.I.G.

